

## Le livre des serfs de Marmoutier, Nr. 112

Nosse debebitis, si qui eritis posteri nostri Majoris scilicet hujus habitatores Monasterii Sancti Martini, domnum abbatem nostrum Bartholomeum et nos, quendam de servis nostris, nomine Mauricium, filium Ingelbaldi de Ponte, tali convenientia clericasse, ut presbiter efficiatur ex quo etas ejus permiserit; effectusque mox, in quacunque ecclesiarum nostrarum voluerimus officium assiduet presbiteratus. Praeterea ut caste se agat et pudiciciam tueatur. Quod si impudice egerit, aut in solo remanserit clericatu, pro quolibet horum tam ipse, quam et fructus ipsius, si infantes habuerit, servituti subicientur; cum pro hoc, sicut jam dictum est, eum clericaverimus, ut ordinatus presbiter in ecclesiis nostris sub omni castitate deserviat. Unde se ipsum fidejussorem dedit, testibus istis: Frotmundo matriculario, ejusdem avunculo; Otgerio presbitero; Herveo sartore; Isembardo filio ejus; Petro Maliloquo; Johanne de Blesi.